

PROPERTII

compositos levibus radiis patefecit ocellos.
sic ait in molli fixa toro cubitum:
'Tandem te nostro referens iniuria lecto 35
alterius clausis expulit e foribus?
namque ubi longa meae consumsti tempora noctis
languidus exactis, ei mihi, sideribus?
o utinam tales perducas, inprobe, noctes,
me miseram quales semper habere iubes! 40
nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
rursus et Orpheae carmine fessa lyrae;
interdum leviter tecum deserta querebar
externo longas saepe in amore moras:
dum me iocundis lapsam Sopor inpulit alis. 45
illa fuit lacrimis ultima cura meis.'

4

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
mutatum domina cogis abire mea?
quid me non pateris, vitae quodcumque sequetur,
hoc magis assueto ducere servitio?
tu licet Antiopae formam Nycteidos et tu 5
Spartanae referas laudibus Hermionae
et quascumque tulit formosi temporis aetas,
Cynthia non illas nomen habere sinat:
nendum, si levibus fuerit collata figuris,
inferior duro iudice turpis eat. 10
haec sed forma mei pars est extrema furoris;
sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat: